

19
Za
2898

L. F. F. L. S.
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
CELEBERRIMI AUTORIS

De
RATIONE STATUS
Dissertationem V. & VI.

De
**REVELATIONE ARCANO-
RUM ET DE EXPLORA-
TORIBUS,**

Cum adjuncta Qvæstione
An Sutor possit esse Philosophus?

Publicè ventilabunt

Die X. Augusti M DC XCIII, horis matutinis ab 8. ad 12.

CHRISTIANUS THOMASIUS,
Jctus & Prof. Publ.

& Respondens
JACOBUS CONRADUS Keesß/
Lindaviensis.

C

Qværo



IN ACADEMIA THEOLOGICA
PUBLICE AUCTORITATE
MAGISTRO
Dissertationem I. & VI.
REVELATIONUM APOSTOLICARUM
RUM ET DE EXPLORATIONE
TOPICIS
Cum Iure Juris
Anno Domini MDCCLXXII
Publice ventilabatur
Die Martis 24. Julii 1772
CHRISTIANUS THOMAS
Johann & Probst
& Rechner
JACOBI GONZALEZ
Lindens

QVINTO





Quæro. III,

An Sutor possit esse Philosophus?

Videtur.

§. I.



Variæ Variorum hodie lites sunt de scriptis Jacobi Bœhmii & ipso autore, & solet in istis disputationibus sæpe oppugnari, & Boehmius & ejus scripta, eò, quod sutor fuerit Bœhmus. Cum enim quidam Bœhmi affectæ eum ex amore Philosophum Teutonicum appellare soleant, & verò adversariis ejus maximè contradictorium esse videatur, sutorem esse Philosophum, notum est, quod ab his ferè uno ore rursus appellari soleat sutor Philosophus & per ironiam ejus Philosophia, Philosophia sutoria,

§. II.

Jam uti istam litem meam non facio, ita liceat jam ex libertate Academica, vel abstrahendo à Bœhmio, quarere, an talis sit repugnantia inter Philosophum & sutorem, ut non possint combinari in uno tertio? Neque enim hoc multum nocebit adversariis Bœhmii, cum, etsi sutor possit esse Philosophus, non tamen propterea omnis sutor sit statim Philosophus, & mille possint illis subesse rationes, ex quibus sibi victoriam in ista controversia promittere possint, etsi sutorum in genere causam his thesibus paululum egerimus.

§. III.

Id quidem constat, si statum hodiernarum Academiarum consideres, & divisionem eruditorum in quatuor facultates, non

C 2

habere

habere spem sutores, ut aut Baccalauri aut Magistri Philosophiæ possint evadere. Neque enim solemus talia prædicata aptare talibus subjectis, quia prostituerentur Academiae & facultates Philosophicæ, atque sacrosanctis statutis communibus adversi quid committerent, si sutoribus summos in Philosophia honores tribuerent, qui tamen neque depositi esse solent, neque albo Academico inscripti, neque Latinam linguam callent, & ita non possunt lectiones Dominorum Professorum frequentare, aut dictata eorum excipere, multò minus Chriam in tentamine promotionis elaborare. Sed jam non quarimus de titulis honorum sed de re ipsa. Uti enim multi sunt Philosophi titulares, qui Philosophiam nesciunt, ita possunt esse multi Philosophi veri, titulis Academicis destituti.

§. IV.

Prætereà olim Philosophia totam sapientiam denotabat, olim quatuor facultates artium & scientiarum ignorabat mundus, olim lingua peregrina non faciebat Philosophum, sed Græci Græcè, Latini Latinè philosophabantur; Olim celeberrimi ex Philosophis non involvere intendebant Philosophiam suam terminis abstractissimis & obsurissimis, sed ita aliqui ex iis philosophabantur, ut & sutores eam possent intelligere; Olim ridebatur, qui peculiarem vocationem & privilegium requirebat, ut quis sapientiæ daret operam, aut qui putaret, peccare suturem contra vocationem à Deo ipsi datam, ut sutoriam exerceat, si artem suam exercendo, cogitationibus sanioribus simul operam dare allaboraret. Et tamen olim, credo, erat res Philosophiæ, etsi nuncque Socrates, neque Plato, neque Aristoteles titulis Academicis fulgerent.

§. V.

Est vulgatus Canon Metaphysicæ Scholastico - Aristotelicæ: Ab actu ad potentiam valere illationem. Igitur responsionem meam ad quæstionem propositam non melius puto, probare potero, quàm si exemplum afferam hominis, qui & egregius Philosophus fuerit, & bonus artifex in arte sutoria. Sistit eum Diogenes Laërtius in vitis Philosophorum lib. II. p. m. 87. Simon Atheniensis Coriarius. *Quoties ad ejus officinam perrexisset Socrates, atque*

que differeret, omnia quae meminisse poterat notabat. Unde & ipsius Dialogos *σχυλίκαις* appellant, quod inter eiusmodi opifices sint habiti. Sunt autem numero triginta tres, qui uno ibidem Codice comprehendantur: De Diis, de bono, de honesto, quid sit pulcrum & honestus, de justo duo, de virtute quod doceri non possit, de fortitudine sive virilitate tres, de lege, de popularitate, de honore, de poesi, de bona valetudine, de amore, de Philosophia, de scientia, de Musica, quid sit pulcrum, de disciplina, de differendo, de iudicio, de eo, quod est, de numero, de diligentia, de operando, de avaro, de jaetantia, de honesto. Alii autem de consulendo, de ratione sive aptitudine, de maleficientia. Fertur hic primus omnium Socraticos sermones differuisse. Cum autem Pericles polliceretur, si ad se veniret, cuncta illi se necessaria exhibiturum, libertatem inquit, vendere, consilii non fuerit. Fateor me maximè attonitum fuisse, cum prima Laertii verba legerem: *Simon Atheniensis Coriarius*. Obveniebant enim mihi statim uno momento omnes illae rationes, omnia illa dicta, quae tot Viri magnâ autoritate & potentiâ praediti, futuri Boehmio objecerunt, ut tacitè in mente exclamarem: *Quid coriarios inter Philosophos?* Volui Græcum Laertii textum consulere, (cum in meâ Bibliotheca Latinum Codicem saltem habeam,) utrum fortè in Græco aliud vocabulum extet, quod coriarium non significaret, sed cum is non statim ad manus fuerit, suppono rectè se habere versionem illam, quâ utor. Ergo futor fuit Philosophus.

§. IV

Fuit & Philosophus egregius. Nam *primus omnium Socraticos sermones differuit*, ut Diogenes noster ait. Fuit Socrates factentibus ferè omnibus, Philosophorum summus. Summi Philosophi doctrinam ita capere, ut eam sibi convenientem iterum exhibere valeamus, indicium excellentis ingenii est. Magnificimus Platonem, maximi eum fecerunt Patres primitivæ Ecclesiæ. At quid aliud sunt ejus libri, quàm doctrina Socratis dialogis exposita? Si futuri nostri dialogos habuissent Patres, fortè magis adhuc eum existimassent, quàm Platonem. Certè eo honore non fuisset indignus, quia si primus Socraticos Sermones differuit, ergo ante Platonem. Et fortè, uti videtur, simpli-

ci ingenio & sincero fuisse; magis puram ac limpidam Socratis doctrinam exhibuit atque Plato. *Ajunt enim, Socratem, cum Platonis Lysidem audisset recitari, prob Diis immortales! dixisse, quàm multa de me mentitur adolescens, referente eodem Laertio lib. 3. de vitis Philosophorum.*

§. VII.

Ulterius quæ scripsit tutor noster, ad universam Philosophiam pertinent, taliaque sunt, aut certè de talibus materiis, de quibus vix celeberrimis hodiernorum Philosophorum constat. Ad primam philosophiam pertinent dialogi *de Philosophia, de scientia, de disciplina, de diligentia, de eo quod est*, ad Oratoriam fortè *de differendo & de numero* nisi ille ad Logicam, hic ad Arithmeticam referendus est, quod jam, cum Codex Græcus deficiat, definire non possumus, ad poësin dialogus *peculiaris*, ad Theologiam seu Metaphysicam dialogus *de Diis*, ad Physicam *de bona valetudine*, ad Philosophiam activam dialogi plurimi, quos inter maximè doleo dialogos *de amore & de pulcro interiisse*, tanquam de rebus & cognitu difficilibus & utilissimis. Quod verò *virtus doceri non possit*, videtur quidem primâ fronte paradoxum esse, sed facile defendi potest, si is sit sensus: vel vulgarem doctrinam virtutis per definitiones & divisiones &c. non reddere virtuosum, sed posse etiam ejus rei scientiam inesse vitiosissimo, vel: appetitum & sensum virtutis non posse ullâ doctrinâ dari hominibus. Quia autem Socrates morum doctrinam maximè populariter & perspicuè tradidit, & verò Simon noster nullam præsumptionem contra se habet, quod altiori proponendi modò ac subtiliori fuerit usus, imo potius majori popularitate eum ista proposuisse vero sit simile, quod dialogos illos, teste Laertio, tanquam inter opifices habitos conscripserit, inde iterum ex hoc capite etiam præferrem Philosophiam tutoris hujus Philosophiæ Socraticæ à Platone traditæ, subtilioris sapè & obscurioris quam vel Philosophia Socratica, vel etiam veræ eruditionis scopus (utilitas & felicitas generis humani) postulabat aut admittebat. Est enim sapientia vera ita apta nata, ut perspicua sit & humano generi communis, unde necesse est eam etiam ab ingeniis opificum intelligi posse.

posse. Unde multo magis libros hos futoris deploro, quam si omnes libri Aristotelis interiissent. Idque credo, fieri posse pace philosophorum Aristotelicorum. Loquor enim de meo gustu. De gustibus verò non est disputandum.

§. IIX.

Et illud ad præcellentiam hujus futoris Philosophi pertinet, quod usus fuerit methodo verâ atque legitimâ perveniendi ad sapientiam. *Quoties*, ait Laertius, *ad ejus officinam perrexisset Socrates atque differeret, omnia quæ meminisse poterat, notabat.* Notum est, Socratem non scamna posuisse auditoribus, non certam horam ipsis dedisse, non textum iis aut autorem explicuisse, non dictasse, ut ex parte sequentes Philosophi Græci faciebant, & nos hodiè facere consuevimus, sed ibat per plateas & loca publica immiscens se congregationibus hominum frequentioribus, vel etiam in officinis opificum, in quibus confabulandi causâ homines conveniebant, se sistebat, & ibi pro re natâ, ex discursibus quibuscunque obviis occasionem sumebat præcepta moralia docendi in media confabulatione. Igitur dum tutor noster dicitur notasse ea, quæ Socrates apud eum differuit, non putandum est, quod discursum Socratis calamo ex ejus ore exceperit, sed cum Socrates in ipsius officina, ipso laborante & calcæos aptante, cum aliis collocutus esset, solus postea discursum Socratis repetens in mente & notabat sibi, & ita, quod ajunt, in succum & sanguinem convertebat Philosophiam Socrateam. Atque hac methodo si uterentur Juvenes hodierni, ne brevi tempore experiri possent, quantum illæ ruminationses & adnotationes profint. At verò istam methodum à Juvenibus postulare non possumus docentes, nisi & ipsi perspicue atque populariter doceamus.

§. IX.

Frustrâ verò inculcatur Philosophia atque docetur, nisi in ipsa vita exemplo quoque tuo te probes esse Philosophum. Probavit & noster, Atque eò pertinet, quod cum ei Pericles pollicetur,



Ha 2898 QK

retur, si ad se veniret, cuncta iur se necessaria exhibiturum, libertatem, inquit, vendere consilii non fuerit. Voluit verosimiliter Pericles servitio Simonis uti, at servire nescit animus Philosophi. Nemini nisi virtuti servit, & omnibus virtuosis actiones suas spontè accommodat, fugit imperium potentum atque divitum, & contemnit. Si necessitate coactus serviat, corpus servit, animus liber est. At libertas hæc in spontanea servitute conservari nequit. Non habebatur Pericles pro vitioso homine, potens erat & autoritate conspicuus apud Athenienses, uno verbo, secundum modum loquendi hodiernum, erat magnus Politicus. Sed uti plerumque magni Politici non magni sunt Ethici, ita & Periclem ad hanc classem pertinuisse, vel ex discursu ejus, quem cum Alcibiade habuit de definitione Legis, apud Xenophontem in memorabilibus Socratis lib. 1. junctis iis, quæ de ipso subinde memorat Thucydides, verosimile est. Philosophus autem verus Ethicam, hoc est, sui ipsius cognitionem & emendationem, facit normam Politices, quærendarum videlicet opum & autoritatis.

§. X.

Igitur verosimile est, suturem non solum posse esse Philosophum, sed & excellentem atque perspicuum, & methodicum Philosophum, Philophiliam suam exemplo exprimentem, esse posse. Quod si verum est, uti videtur, verum quoque erit, in posterum oppugnatores Bæhmii benè facturos esse, si in Disputatione illa argumentum aut scomma de Philosophia sutoriâ omittant, atque de aliis firmioribus, quæ nunquam iis, qui veritatem tuentur, deesse poterunt, circumspiciant. Nam istud quidem Appellis: *Ne sutor ultra crepidam* parum ad rhombum facit. Non, quod aliàs pictoribus & Poetis quidlibet audendi semper fuerit potestas æqua, sed quod apophthegmata pariter ut similia, non sint extendenda ultra tertium. Nos verò ad suturem nostrum reversi, tacitè cogitemus, quia Philosopho clamare non convenit: **VIVAT PHILOSOPHIA SUTORIA!**

TANTUM.

Q.K. 148, 14.

IN ACADEMIA
CELEBERE

RATION

Differtation

REVELATIO

RUM ET D
TOR

Cum adju
An Sutor possit

Publicè
Die X. Augusti M DC XC
CHRISTIANU

J Ctus &
& Re
JACOBUS CO
Lind

